

profectò hoc facturus, si in Baptismo parvulis conferendo, peccati aliquid admitteretur.

84. Adstipulatur huic sententiae laudabilis orthodoxae Antiquitatis consensus, de quo D. Aug. Serm. 14. de verbis Apostoli scribit: Baptizandos esse parvulos, quãdo nec illi (Pelagiani) dubitant, qui ex parte aliqua contradicunt: sed nos dicimus, aliter eos salutem & vitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo.

85. Idem statuit Concilium Milevitanum, cui interfuit & subscripsit D. Aug. Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab utero matris baptizandos negat, anathema sit. Et post pauca: Propter hanc regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Tom. 1. Conc. pag. 482. b. De Consecr. dist. 4. c. placuit. 153.

86. Origenes Comment. in cap. 6. Rom. Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi, quibus arcana mysteriorum commendata fuerunt, quod sint in omnibus

li 2

genuinæ